

Valahfridus (Wilfried Stroh): Ratisbona Latina*

Ratisbona nos, sodales, ad se uocauit Bauariae quondam metropolis.¹ Sed quomodo eius nomen pronuntiemus? *Ratísbonam* littera *i* correpta an *Ratisbónam* producta? Mihi olim antepaenultima acuta in *Ratísbona* Latinior uidebatur, sed cum uideo Andream Ratisponensem historicum hunc hexametrum leoninum tradidisse:

Gaude, Ratispona, super excellencia dona ...,²

dubium esse uix potest quin ille quidem uir doctus, ab Auentino *Bauarorum Liuius* uocatus, paenultimam longam acutamque³ esse uoluerit. Cedo igitur eius auctoritati, quia certe suae aetatis usum enuntiandi nobis demonstrat.

De urbis nominibus

Sed nolite credere, sodales, hoc nomen Latinum esse aut iam a Marco Aurelio usurpatum. Immo nomen ipsum Germanicum *Regensburg* Latina origine gloriatur, *Ratisbona* magis barbara est. Non creditis? Rem ab incunabulis recensebo.⁴

Castris Romanis igitur prope Regum fluuium positus nota data uidetur breuissima, nempe *legio*, quod in miliaris nunc quoque exstantibus legitur. Alterum nomen postea succreuit, quod est in *Tabula Peutingeriana*: ibi illa urbs siue castellum appellatur *Reginum* (a *Regino* siue *Rego* flumine, qui nunc est *Regen*). Vnde postero tempore orta est haec nunc usitata appellatio, quae in *Notitia dignitatum* (circiter A.D. 430 composita) primum inuenitur, scilicet *Castra Regina*. In qua multi barbare peccant, cum *i* litteram producunt, quasi ad aliquam reginam, non ad fluuii numen, pertineat. Inde Germanica translatione urbs primum *Reganespurc*, deinde *Regensburg* uocata est.

Vnde autem *Ratisbona* siue *Radispona* aut *Radaspona* illa? Eam neque in libris neque in lapidibus aut tabulis legimus ante saec. VIII, quo Arbeo scriptor historicus D. Emmeramum dicit peruenisse *ad Radasponam urbem* (de quo loco postea fusius dicendum erit). Neque hoc nomen tunc natum uiri docti etymologiarum periti affirmant, sed ad Celticam originem redire, quae non tam urbem quam locum siue regionem denotauerit (et cum *Vindo-bona*, *Bon-onia* similibusque coniungenda sit). Sed utcumque haec sunt, homines Latine eruditi pridem etiam *Radasponam* siue *Ratisbonam* ut Latinam sibi uindicauerunt, cum nomen eius a *ratibus* et a *bono* aut *ponte* aut *ponendo* deriuandum esse rati sunt. Quorum e fabulis mihi maxime arridet illa, qua miles Romanus quidam in forum quod iam tum extra castra fuerit, uenisse dicitur; ibi mulierem quandam ei tradidisse eam radicem, quae nunc quoque Bauarice „Radi“ uocatur et cum cereuisia sumitur. Tunc illum suauitate saporis delenitum exclamauisse: „Radix bona!“ – id autem in nomen urbis cecidisse. A, pereant historici, qui tam bellas fabulas ueras esse negant!

Quod si credideritis me iam satis multa nomina dedisse Ratisbonae, uehementer erretis. Sunt alia plurima, paene centum numero, quae in *Bavaria Latina*,⁵ si uacauerit,

* Schola siue oratio habita die 17 m. Sept. 2009 in Academiae Latinitati Fouendae Conuentu XII Ratisbonensi. Consiliis me strenue adiuit Dr. Veronika Lukas, cui debitas gratias ago.

¹ Cf. A. Schmid 2003.

² V. infra p. ?10? Ad hunc uersum animum meum recte reuocauit Jan Beck collega optimus.

³ Si ueteres grammaticos audias, non acuebatur haec longa syllaba, sed flectebatur. Sed id nunc quidem neglego.

⁴ De nominibus cf. prasertim Dietz / Fischer 1996, 26-28; plurima praebet Kraus 1972, 48-55; cf. etiam A. Schmid 2003, 12-14. Iucundissime de uariis nominibus iam egit Iohannes Auentinus, in libro *Von dem herkommen der statt Regenspurg* (1528), in: Halm / Muncker, Monachii 1881, 294-297 (cui tamen uetustissima monumenta nondum nota esse poterant).

reperietis, partim iam ab Andrea illo Ratisbonensi enumerata et explicata. Vnde tamen unum uobis exhibebo. Vrbs, ut Andreas aliique referunt, etiam *Tiburnia* uetustissimo nomine⁶ appellanda uidebatur, cum ab imperatore Tiberio ipso tempore passionis Christi condita esset.⁷ Scilicet hanc ob causam tam pii ac Christiani semper fuerunt Ratisbonenses. Quibus nunc non immerito Gerardus Ludouicus Mueller episcopus datus est, qui ecclesiam sacerdotisque suos etiam in puerorum stupratorum causa strenue defendit.⁸ Sed ad antiqua tempora reuertamur.

De Heluio Clemente et litteris Ratisbonensibus primis

Paucae urbes certo anno natali gloriantur. Potest gloriari Ratisbona, cuius originis etiam certissimum exstat documentum in Vrbs museo asseruatum. Nam *Castrorum Reginorum* de quibus dixi in porta orientali praetorii tabula erat, cuius hae nunc leguntur litterae (*CIL* III 11965):

[...]FRATER DIVI HADRIANI NEPOS DIVI TRAIANI PA[...]
 [...]TICVS PONTIFEX MAXIMVS TRIB POTESTATIS XXXVI⁹ I[...]
 [...]ICVS GERMANICVS MAXIMVS ANTONINI IMP[...]
 [...]MP II COS II VALLVM CVM PORTIS ET TVRRIBVS LEG I[...]
 [...]M HELVIO CLEMENTE DEXTRIANO LEGATO AV[...]

Omittamus hic ea quae suppleuntur a uiris doctis, non semper certissima¹⁰ (etiam eo quod lapicida in exstantibus quoque litteris errauisse creditur et scriptura aliquot annis post primam incisionem retractata est). Certa sunt tamen haec: In u. 1 legitur *Hadriani nepos*, i.e. Marcus Aurelius imperator Stoicus; in u. 3 *Germanicus Maximus*, i.e. Commodus M. Aurelii filius, inde ab A.D. 180 patre mortuo solus imperator (longe peior quam pater, ut e *Gladiatore* fabula cinemata plerisque notum est). E u. 4 quid pater filiusque fecerint discimus: *uallum cum portis et turribus legioni (III Italicae)* sc. extruxerunt. M. Aurelius et Commodus igitur auctores fuerunt castrorum, idque A.D. 179 eos fecisse eo apparet, quod M. Aurelio uiuo Commodus iterum imperator salutatus, iterum consul creatus dicitur.¹¹

Exstructionem autem ipsam ualli portarum turrium alius curauit, cuius nomen in u. 5 legitur: M. Heluius Clemens Dextrianus legatus Augustorum, qui tunc, ut uidetur, pro praetore Raetiam administravit.¹² Huius nomen uos rogo ut memoriae mandetis. Is enim, quoniam hanc tabulam quoque posuisse, hunc ipsum titulum composuisse credendus est, primus scriptor Latinus in hac urbe fuit, quasi pater omnium litterarum Ratisbonensium, nec

⁵ Ladislaus Buzás / Fritz Junginger: *Bavaria Latina – Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern*, Aquis Mattiacis 1971, 293

⁶ Inuenitur iam in annalibus urbis saec. XI (Kraus 1972, 52). Translatum uidetur nomen ex ea *Tiburnia*, quam Eugippius in *Vita S. Seuerini* (1,2) ut *metropolin Norici* commemorat.

⁷ Fuse de hac fabula disputat Gerhard H. Waldherr, „Der Umgang mit der römischen Vergangenheit am Beispiel Regensburgs“, in: H.E. Paulus / H. Reidel / P. Winkler (edd.): *Regensburg im Licht seines geschichtlichen Selbstverständnisses*, Regensburg 1997, 24 – 38.

⁸ Diurnarios qui talia malefacta patefecerunt mense Martio A.D. 2010 calumniatoribus nazisticis comparauit et tamquam anseres excitatos contra ecclesiam strepere ac sibilare dixit (<http://www.spiegel.de/panorama/gesellschaft/0,1518,685009,00.html>).

⁹ Debebat scribere „XXXIII“.

¹⁰ Totus titulus cum pictura photographica et supplementis (hic illic dubiis) facile inuenitur in pagina domestica philologiae classicae in uniuersitate Radisbonensi: http://www.uni-regensburg.de/Fakultaeten/phil_Fak_IV/Klass_Phil/Latein/. De uerbis et tempore diligenter agunt Dietz / Fischer 1996, 84-87. In usum discipulorum commentario instruxit Hohl 1982, 9-12.

¹¹ Cf. P. v. Rohden, *RE* II 2 (1896), 2468 sq.

¹² Cf. Kadlec, *RE* VIII 1 (1912), 228. Negant Heluium tantum potuisse Dietz / Fischer (1996, 87), qui ante eius nomen alterius magistratus nomen excisum esse suspicantur: bona coniectura, sed ualde incerta.

poeta nec fortasse orator, sed magis miles – cui fortasse illae radices bonae magis placuerunt quam Musarum studia.

Saeculo quarto et quinto denique Romanis e provincia recedentibus, prima religionis Christianae uestigia in hac regione inuenimus. Quorum notissimum est hoc epitaphium puellae cuiusdam (quod saec. V scriptum A.D. 1839 denique repertum est; quo loco, nunc quidem nescimus):¹³

IN CH(RISTO) B M
SARMANNNE
QVIESCENT(I) IN PACE
MARTIRIBVS SOCIATAE

Nomen puellae in u. 2 dubium est. Recentissimi editores reliquias litterae A in una N deprendere sibi uisi sunt (quod mihi cum picturam photographiam perscrutor non contingit), unde *Sarmannane* (= *Sarmannanae*) legunt; priores *Sarmannine* maluerant. Mihi tutius uidetur tertiam N ut dittographiam delere, ut sit *Sarmanne*.

In u. 4 quaeritur, num ipsa Sarmanna martyr fuerit an cum martyribus quibusdam sepulta. Nunc plurimi credunt eam tantum eodem animo ac martyres praeditam fuisse; neque enim cultus ulla uestigia exstare neque illo tempore iam martyrii occasionem datam esse. Quod alterum equidem pernego, cum fata Emmerami martyris respicio, de quibus mox audietis. Possis igitur *B M* in u. 1 pro *beat(a)e martiri* habere, quod alii *bene merenti* aut *beate memorie* interpretati sunt. Tu certe, Sarmanna, siue passione siue animo martyr requiescas in pace!

De uiris sanctis litterarum memoria celebratis

Saeculo VI. autem Boiarii regionem occupant quam *Reganespurc* uocant. Quorum duces nondum erant Vittelsbacenses, sed Agilolfingi, qui palatium intra muros Castrorum Reginorum exstruxerunt.¹⁴ Secunda parte autem proximi saeculi Emmeramus Ratisbonam uenit, ut religionem Christianam propagaret, ubi causis satis obscuris in populo semipagano martyrium passus est. Inde monasterium illud Benedictinorum apud Sanctum Emmeramum extitit, quod per multa saecula plurimae doctrinae et humanitatis domicilium erat.¹⁵

Sed de hoc Emmeramo nobis tradit scriptor non Ratisbonensis, sed Arbeo episcopus Frisingensis,¹⁶ qui, cum centum annis post fuerit, omnium historicorum Germanorum princeps existimatur. Is igitur parum culto sane sermone in *Vita S. Haimrammi* – hoc nomine eum appellat – de urbe haec refert:^{17 18}

[...] caepit (sc. Haimrammus) Germaniam austri [*meridionalem*] ingredi [*ingredi*] ad fluenta Danubii amnem [*amnis*] in partibus Baiuvariorum. Cuius dum sequeretur [*sequeretur*] fluentis [*fluentia*], ad Radasponam peruenit urbem, qui [*quae*] ex sectis lapidibus constructa, in metropolim huius gentis in

¹³ Pulcherrime depictum apud Dietz / Fischer 1996, 128

¹⁴ A. Schmid 2003, 15-20

¹⁵ Cf. praesertim Bernhard Bischoff, „Literarisches und künstlerisches Leben in St. Emmeram (Regensburg) während des frühen und hohen Mittelalters“ [primum 1933], in: Bischoff 1967, 77-114; idem, „Studien zur Geschichte des Klosters St. Emmeram im Spätmittelalter (1324-1525)“ [primum 1953/4], in: Bischoff 1967, 115-155.

¹⁶ Cf. Harald Wunder, „Arbeo von Freising“, *Verfasserlexikon* I (1978) 414-422.

¹⁷ Bernhard Bischoff (ed.), *Arbeo: Vita et passio Sancti Haimrammi Martyris, lat.-dt.*, Monachii 1953, 10-14; cf. Kraus 1972, 7 sq., 103 sq.; Hohl 1982, 29 sq.; A. Schmid 2003, 11; 15 sq. et saepius.- Quosdam barbarismos uersione paulo Latiniore (cursiue, ut aiunt, adscripta) mitigare conatus sum. Atqui sciendum est haec esse composita a uiro tum quidem admodum docto, antequam Carolus Magnus scholas renouauit.

¹⁸ In interpunctione et orthographia hic et alibi non ipsos auctores aut saltem codices sequi licebat; exscripti fideliter editorum libros, qui praesto erant quosque indicaui.

arce decreverat [*creverat*]. Quam tunc in tempore dux gentis Baiuvariorum vir alacer Theoto regebat; in quam urbem venerabilis episcopus ingressus est. [...].

Urbs, ut praediximus, Radaspona inexpugnabilis, quadris aedificata lapidibus, turrium exaltata magnitudine, puteis habundans. Cuius septentrionalem partem Danubius suo rigore contra ortum [*in orientem uersus*] suo cursu infunditur [*infundit*] fluenta. [...]. Sed habitatores eius neoffiti [*nuper baptizati*]; eo namque in tempore idolatriam [*daemonum cultum*] radicitus ex se non extirpauerunt, quia ut patres calicem Christi commune et [*aeque ac*] demoniorum <sibi?>¹⁹ suisque prolibus propinauerunt.

Haec igitur est prima urbis descriptio qualem uno saeculo post Emmeramum Arbeo uidit. Etiam tunc urbs *sectis* siue *quadris aedificata lapidibus* castrorum Romanorum aliquam speciem praebebat. Quamquam uix dubitandum est quin multi tunc etiam extra muros Romanos habitauerint. Quid autem Arbeo senserit, cum urbem *in metropolim huius gentis in arce* – an *in arcem?* – creuisse dixit, id ex aliqua parte obscurum est;²⁰ constat tamen eam fuisse opulentissimam.

Saepe postero tempore Carolus Magnus Ratisbonae uersatus est, qui etiam e nauibus coniunctis pontem naualem construxit, simulacrum pontis futuri.²¹ Tum cum Agilolfi duces a Carolo depulsi essent, Ratisbona quasi caput factum est Imperii orientalis Francorum. Ibi Hemma imperatoris Ludouici II. uxor apud D. Emmeramum pulcherrimo sepulcro condita est, ibi imperator Arnulfus Carinthius, qui monasterio ante mortem donauerat Codicem aureum (qui omnium librorum ornatissimus perhibetur).

Sed mox saec. X nouum patronum Ratisbona sibi inuenit D. Wolfangum, qui postea semper una cum Emmeramo cultus est. Fuit autem episcopus in eo episcopatu, quem D. Bonifatius saec. VIII constituerat. Ac Wolfangus uel eo optime meritus est, quod scholares id est scholae cathedralis discipulos in ecclesia cantare iussit; unde exorti sunt illi *Passeres Ratisbonenes* („Regensburger Domspatzen“) nunc paene per totum orbem fama celebrati. Praeterea Wolfangus, cum antea qui episcopus idem etiam abbas apud S. Emmeramum fuisset (quo factum est, ut monasterium pessime neglegeretur), A.D. 975 haec duo munera natura diuersa etiam personis distinxit. De quo uno saeculo post Othlonus (uulgo Otloh) Benedictinus apud D. Emmeramum²² in *Vita S. Wolfkangi* (cap. 15) disertissime scribit:²³

Perspectis ergo et cognitis rebus episcopii, beatus praesul Wolfkangus cum uidisset in ciuitate Ratispona monasticae vitae inreligiositatem, crebro suspirans dicere fertur: „Si monachos haberemus, reliqua satis suppetent.“ [...] „[...] Quid prodest sanctitatis habitum sine operibus gestare? Regulares monachi beatis aequiperantur angelis, saeculares uero monachi apostaticis.“ Haec autem ideo locutus est, quoniam cernebat monachos in beati Emmerammi martyris coenobio constitutos abbate carere et quasi oves errantes sine pastore.

Sentitisne? Hic Othlonus inter scriptores Ratisbonenses et uetustate et uenustate paene principatum tenet. Neque enim plurimi illis temporibus tanta elegancia scripserunt. Sed fere omnia eius opera sunt spiritualia, quorum notissimus est *Liber uisionum* (qui eius aliorumque uisiones continet).

Fortasse ab eodem monacho composita est etiam *Translatio S. Dionysii Areopagitae*,

¹⁹ Supplementum, ut mihi uidetur, necessarium. Bischoff autem (u. adn. 18) hoc –*que* idem ualere ac *cum* putat: „mit ihren Kindern“.

²⁰ De *metropoli* cf. A. Schmid 2003, 19.

²¹ Cf. Hohl 1982, 35-39.

²² Cf. Benedikt Konrad Vollmann, „Otloh von St. Emmeram“, *Verfasserlexikon* XI (2004), 1116-1152; Helga Schuwecker, *Otloh von St. Emmeram: Ein Beitrag zur Bildungs- und Frömmigkeitsgeschichte des 11. Jahrhunderts*, Diss. Herbipoli (1962) (p. 42 sq. de *Vita Wolfkangi*). Conspectum operum praebet etiam Manitius II 1923, 83-103. Cf. Bischoff 1967, 102-107; Christoph Meinel, in: Universität Regensburg 1995, 40; H. Röcklein, *Lexikon des Mittelalters* VI (1999) 1559 sq.

²³ Migne *PL* 146, 404; cf. Hohl 1982, 41-46.

de qua dicere longum est. (Mentiti sunt enim Ratisbonenses ad se Lutetia Parisiorum olim translata esse ossa D. Dionysii Areopagitae, uulgo *St. Denis* appellati.) In hoc autem opere Ratisbonae urbis descriptio copiose delineata legitur.²⁴ Vbi haec quoque:²⁵

[...] Ratispona ipsa est antiqua eadem et nova, una magnarum urbium metropolis [...], qua nihil habet Germania clarius. Danubio preterfluente aquilonari parte cincta, ubere glebe²⁶ foecunda, vinetis ubertim effluentibus²⁷ dilatata, auri, argenti, seu caeterorum metallorum copiis, bissi, coccini, cunctigenis mercimoniis, navium quoque ac vectigalium com meatibus et diviciarum cunctarum affluentis ultra alias urbes cumulata redundat. Ad hoc, quod his omnibus karius ac praeciosius est, monasteriis clericorum, monachorum ac virginum referta in dei laudibus qum nobilissime floret.

Nil habet Germania clarius! Duo autem fontes diuitiarum recte distinguuntur: Prima est natura ipsa, fecunda agris metallorumque plena, altera mercatura mercibus undique e longinquo conquisitis.

De initiis poeticis Ratisbonensibus

Non igitur mirum est quod haec urbs tam Mercurialis mercaturaeque dedita nec tunc nec postea multos poetas tulit. Quorum princeps, nisi fallor, Othlonus ipse erat qui hexametris leoninis librum *De doctrina spirituali* confecit, ubi tamen illam in oratione prosa laudatam dexteritatem aliquatenus desideramus. Noluit enim poetas Romanos imitari, quos ne legere quidem dignatur (cap. 11 C 6-11):²⁸

Forsitan ex aliquo quaerenda haec norma²⁹ profano,
 Ut sunt: Horatius, Terentius, et Juvenalis,
 Ac plures alii quos sectatur schola mundi,³⁰
 Pro studio carnis carnalia dicta ferentes [*an ferentis?*³¹],
 Ut per eos nobis pandatur lex pietatis,
 Instinctu Satanae qui promunt pessima quaeque?

Etiam nomina horum a diabolo instinctorum uatum, ut uidetis, misere distorquet, ut *Horatium* a trochaeo incipere, *Terentium* a spondeo uelit. Nec talia solum in nominibus propriis peccat, sed alibi quoque se interdum *magis sensus quam metri jura*³² secutum fatetur. Tamen inter causas cur omnino metrica scribat etiam eam adfert, quod in ratione poetandi magis quam in prosaica exercitatus sit. Et ex aliis libris eum adulescentem poetas ueteres studiose legisse apparet - nec solum Horatium, Terentium, Iuuenalem, qui medio aevo propter moralia praecepta prae aliis colebantur.

²⁴ Notum est auctorem hic imitatum esse Hilduinum, qui Athenas similibus uerbis laudauerat (Migne PL 106, 25 B – 26 C).

²⁵ Cf. textum in *MGH SS XI* (ed. Köpke) p. 352 et Kraus 1972, 111 sq. (cf. 41 sqq.). Nouam editionem in *Monumentis Germaniae Historicis* praeparat Veronika Lukas, cuius textum, quem benigne mecum communicauit, hic exscribere iuuat.

²⁶ = *glabrae*. Iniuria Kraus et Köpke (u. notam antecedentem) mutant in *gleba*. Nam *uber* hic substantiuum est ut in Verg. Aen. 1, 531 *potens armis et ubere glabrae*.

²⁷ Exspectes *affluentibus*, sed lectio certa est ex imitatione Hilduini (u. adn. 24).

²⁸ Migne PL 146, 270

²⁹ Norma eadem est atque *lex pietatis* infra.

³⁰ More Pauli apostoli *scholam mundi*, i.e. saeculi siue carnis, opponit disciplinae spirituali.

³¹ Mutatio propter legem leoninorum paene necessaria uidetur – quamquam eam legem Othlonus non ubique diligentissime sequitur (ut etiam supra in nominibus propriis). Cf. etiam Paul. ad Gal. 6,8: *qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem*.

³² *Prologus* A 13; Migne PL 146, 264

Musas autem temptauisse uidetur etiam Wilhelmus monachus quidam, postea Wilhelmus Hirsaugiensis dictus, Othlonis discipulus.³³ Huic enim, qui etiam *De musica* et *De astronomia* scripsit, eiusque discipulis attribuitur illa Sphaera q.d. siue astrolabium quod nunc in Museo urbis asseruatur.³⁴ Ibi est figura Arati poetae astronomi cum hoc hexametro leonino:³⁵

SYDEREOS MOTVS RADIO PERCVRRIT ARATVS

Quem uersum, dummodo sciamus *radium* esse bacillum quo mathematici figuras designent, facile intellegimus. Sed aliud distichon superadditum Oedipodem quaerit qui rerum caelestium me peritior sit. Quod tamen honoris causa subiungo:

CLYMA CYCLI CARDO CELI³⁶ LOCVS EXTIMA SIGNI
MVLTVS AD HEC VSVS PATET HINC SVB ACVMINE VISVS³⁷

Peius autem quam clerici ciues ipsi Ratisbonenses tum poetabantur. Nam de ponte lapideo illo illustrissimo, paene orbis miraculis adnumerando, quem inter A.D. 1135 et 1146 in Danuuio posuerunt, fecerunt distichon subrusticum ex hexametris leoninis:³⁸

Pons fieri coepit, Domini dum annus incoepit
Mille centenus, tria decem, semi quoque demus [*lege* denus]
[M C XXX V]

*Am eylfthundert fünf und dreyssig Jahr,
Dise Brucken angefangen war.*

Distichon habet quattuor uitia prosodiaca (quae linea subducta notauit). Vox *tria* autem monosyllabice pronuntianda est. Quanto pons firmior pulchriorque quam hi uersiculi!

De Caesarum beneficiis urbi praebitis

³³ Cf. F.J. Worstbrock, „Wilhelm von Hirsau OSB“, *Verfasserlexikon* X (1999), 1100-1110; Manitius III 1931, 220-226; Christian Berktold, *Lexikon des Mittelalters* 1999, IX 155; Meinel 1995, 40-42; Armin Gerl, „Wilhelm von Hirschau“, in: Dietz / Waldherr 1997, 43-53.

³⁴ Photographice depictum reperitur in Kraus / Pfeiffer 1986, pictura nr. 70, uel in Dietz / Waldherr 1997, 45.

³⁵ Sequor transcriptionem Christophori Meinel 1995, 42.

³⁶ *CARDOCELI* uno tenore scriptum legitur in transcriptione Meineli 1995, 42. Forsan malis *CELI CARDO*, ut usitato more leoninus fiat (quales sunt uersus ceteri), sed nescio an hunc uersum tripartitum (*cycli ... celi ... signi*) esse uoluerit (cf. Norberg 1958, 66: de *trininis salientibus*).

³⁷ Meinel 1995, 42 sic uertit: „Klimazone, Parallelkreise, Himmelspol, Ort und Höhen des Tierkreiszeichens, dazu [*? hec malim referre ad praecedentia*] vielfältige Verwendung bietet sich hier [*?*] vor [*?*] der Visierspitze“. Aliter Armin Gerl, in: Dietz / Waldherr 1997, 49: „Die Breitenkreise [*?*], die [*?*] Hauptpunkte des Himmels, Lage und Grenzen des Tierkreises (Sonnenwendpunkte), alles dies [*?*] wird beim Blick auf [*?*] die Stifte [cogitat de stylis metallicis nunc deperditis] offenbar.“ Qui sequitur ex aliqua parte astronomum E. Zinner, „Das mittelalterliche Lehrgerät für Sternkunde zu Regensburg und seine Beziehungen zu Wilhelm von Hirsau“, *Zeitschrift für Instrumentenkunde* 43,1923, 278-282 (uide uersionem in p. 279), cuius tamen transcriptio uitiosa est. Nondum uidi J. Wiesenbach, *Wilhelm von Hirsau: Astrolab und Astronomie im 11. Jahrhundert*, Stuttgartiae 1991.

³⁸ Vt carmen uetustum („alter Vers“) laudant Coelestin Vogl / Anselm Godin, *Ratisbona politica*, Ratisbonae 1729; eos exscribit Eberhard Dünninger, *Weltwunder Steinerne Brücke* [...], Ambergae 1996, 22, quem ipse sequor; paucis litteris mutatis eosdem uersus testatur Christian Gottlieb Gumpelzhaimer, *Regensburg's Geschichte, Sagen und Mkwürdigkeiten* [...], pars 1, Ratisbonae 1830 (anastatice ibid. 1984), 256; cf. Hohl 1982, 55. Nescio ubi inueni etiam distichon elegiacum paene isdem uerbis conceptum: *Pons fieri coepit Domini dum inceperat annus / Mille centenus, semi denus, tria decem* (-le producitur, de- corripitur).

Qui pons etiam Caesaribus placuit, imprimis Barbarossae. Nam A.D. 1182 Fridericus I imperator libertatem ponti lapideo statuit idque uerbis maxime sollemnibus splendidisque, unde paucissima affero:³⁹

Cognoscat igitur quelibet generatio altera, quia [...] ad petitionem civium Ratisponensium et Herbordi magistri eiusdem pontis statuimus et concedimus omnimodam libertatem super predictum pontem, ita scilicet ut non liceat alicui ex debito aliquid exigere ab aliquo super eundem pontem transeunte, nisi propria voluntate ad conservationem vel restaurationem eiusdem pontis aliquis quicquam voluerit conferre.

Herbordus, magister pontis ille, qui inter magistratus urbis erat,⁴⁰ ueritus esse uidetur, ne quis pontem ut proprie suum occuparet quaestumque inde faceret. Gratis enim patere et ciues et Imperator hunc pontem uoluerunt omnibus – nisi quis sua sponte ad conservandum aliquid contribuere dignaretur (qui apud nos barbare dicitur „freiwilliger Unkostenbeitrag“).⁴¹

Multa priuilegia postea in urbem contulit Philippus rex. Sed longe maximum beneficium ciuibus praebuit Fridericus alter imperator, qui *stupor mundi* dicebatur. Is enim A.D.1245 Ratisbonam propter eius fidele obsequium liberam ciuitatem declarauit cum aliis uerbis tum his:⁴²

[...] uobis ad sinceram fidem et expertam deuocionem, quam ad excellentiam nostram geritis, de gracia nostra duximus indulgendum, ut liceat uobis amodo [*i.e.* inde ab hoc tempore] communia consilia ad honorem nostrum [*an* nostri ?] imperii et utilitatem ciuitatis vestre statuere et magistratos seu rectores ciuium vel quoslibet officiales alios libere ordinare [...].

Fidem et deuocionem eorum laudat, quia Sigfridus episcopus imperatori olim amicissimus, tunc minime fidelis ad partes papae Romani transfugerat.⁴³ Quare Caesar Ratisbonenses ab omnibus liberat quae episcopo antea praestare debuerant et priuilegium, quod illi *super infringendis iuribus* ciuium, ut dicit, concessum erat, *cassat et in irritum reuocat*. Ergo Ratisbona, cum *libera ciuitas* nuncupata est, non tum quidem ab aliquo duce Bauaro liberata est, sed ab episcopo suo. Permansit autem libera donec anno illo fatali 1810 regno Bauarorum adiuncta est. Sed nunc quoque *ordinant libere rectores ciuium* episcopo certe non obnoxii.

De clericis mediaeualibus doctis

Sed ab his rebus publicis ad bonas litteras et studia redeamus. Hoc ipso saeculo XIII⁴⁴ per totam Europam notissimus erat Bertoldus Ratisbonensis Franciscanus⁴⁵ orator siue contionator, cuius fere quadringenti sermones Latini, septuaginta Germanici traditi sunt. (Qui quomodo inter se connexi sint, quatenus ipsa uerba quibus Bertoldus usus sit referant, ualde

³⁹ *Regensburger Urkundenbuch*, uol. 1 (= *Monumenta Boica* uol. 53) ed. J. Widemann, Monachii 1912, nr. 40, p. 10 sq.; Hohl 1982, 56

⁴⁰ Qui illustrissimis ciuibus Ratisbonensibus adnumeratur a Wilhelm Volkert, „Herbordus – Regensburger Brückenmeister (12. Jahrhundert)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 54-59.

⁴¹ De natura huius libertatis historici non nihil dissentiunt, cf. Artur Dirmeier, „Die Steinerne Brücke in Regensburg“, in: Edith Feistner (ed.), *Das mittelalterliche Regensburg im Zentrum Europas*, Ratisbonae 2006, 25-41, ibi p. 36 cum adn. 39.

⁴² *Monumenta Boica* uol. 31, pars 1, Monachii 1836, nr. CCCX, p. 582 sq., nr. CCCX; Hohl 1982, 66

⁴³ Cf. Wilhelm Muschka, *Bischof Siegfried von Regensburg – Kanzler Kaiser Friedrichs II.*, Marburgi 2006, 268 sq.

⁴⁴ Cf. Nikolaus Henkel, „Literatur in Regensburg im 12.-14. Jahrhundert“, in: P. Schmid 2000, uol. 2, 876-905.

⁴⁵ Cf. Frank G. Banta, „Berthold von Regensburg“, *Verfasserlexikon* I (1978), 817-823.

disputatur.⁴⁶) Ille uir tanta uir uocis et claritate fuisse traditur, ut saepe etiam sub diuo in agris campisue contionari ausus sit. Vbi eum tradunt pennam a filo pendentem sibi statuisse, quae unde uentus flaret index esset, ut copia auditorum ibi consideret uel consisteret quo aura uerba perferret.

Ac de ui eius orationis mira narrantur. Velut hoc de meretrice quadam, quam sermone Bertoldi tantopere percussam dicunt, ut quaestum et uictum ilico deponeret, se uiro pauperi in matrimonium dari pateretur multitudine audientium sponte sua dotem amplam ei commodante.⁴⁷ Quae mulier si forte interrogauit quid in matrimonio insolito ac nouo sibi petendum ac uitandum esset, huius quoque rei apta praecepta dare Bertoldus monachus caelebs paratus erat. Dicit enim in sermone quodam⁴⁸ *quinque* esse, quae *sponsam sponso dilectam reddunt*. Vnde tria prima refero:

Primum est honorare soceros, quasi proprios parentes, etiamsi pauperes, si senes, si coeci sint [...]. Secundum est diligere maritum. Etiamsi aliquando dure sive uerbis sive factis se habeat ad uxorem, non tamen dure respondeat haec. [...] Fit enim saepe, ut inimicus, victus crebris beneficiis, odii ponat rigorem <ardorem> caritatis +in eum apponat.⁴⁹ Nota de elephante, quomodo beneficiis mansuescit et uoluntati benefici obedit. [...] „Si uis amari, ama“.⁵⁰ [...] Tertium: regere familiam [...]

Quodsi cui ea monita nimis profana uideantur, Bertoldus etiam spiritualem explanationem adiungit, cuius ope homo caelebs quoque *tam Deo quam angelis uniuersis* placeat. Ac primum pro soceris substituitur Maria quasi socrus ueneranda ei animae quae Christo spritualiter nupta sit. Deinde secundo loco Christi ipsius amor quasi mariti praecipitur, quem seruandum esse dicit, etiamsi Christus aliquem *faciat infirmum*, si *excaecari aut depauperari* sinat, *sciens indubitanter, quod totum pro bono tuo facit*. Tertio autem loco quam tandem familiam caelebs ille regat? *Interiorem* ait regendam esse *familiam sensuum et membrorum, ne sit indisciplinata*. Quod illi meretrici quondam, postea matronae aptissime suaderi debuit.

Si non disertior, at certe doctior saeculo subsequente fuit Conradus de Monte puellarum (*Konrad von Megenberg*),⁵¹ inde ab A.D. 1348 clericus Ratisbonensis, qui de physica, theologia, ethica plurima scripsit. Notissimus est quem Germanico sermone confecit librum *Buch der Natur* primum opus q.d. encyclopaedicum, quale uernacula lingua scriptum antea non exstitit. Poemata eius plurima perierunt, sed extat, quod adulescens uersibus leoninis A.D. 1338 Lutetiae Parisiorum composuit, nempe *Planctus Ecclesiae in Germaniam*. Quo poemate discordia inter Ludouicum Bauarum imperatorem et Ioannem papam exorta tangitur. Inducitur autem Ecclesia ipsa lamentans, quae imperatorem cum papa in gratiam

⁴⁶ Cf. Peter Segl, „Berthold von Regensburg – Prediger (1210-1272)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 79-88, ibi p.83: sermones Germanice habitos postea a Bertoldo ipso Latine conuersos et editos esse dicit. Eos qui Germanica lingua traditi sunt genuinos esse fere omnes negant.

⁴⁷ Franz Pfeiffer (ed.), *Berthold von Regensburg: Vollständige Ausgabe seiner Predigten*, uol. 1, Vindobonae 1862, p. XXIV

⁴⁸ *Beati Fr. Bertholdi a Ratisbona Sermones ad religiosos XX*, ed. Petrus Hoetzel, Monachii s.a. (praefatio signata est d. 17. Sept. 1882), p. 99-101. Pauci adhuc sermones Latini editi sunt; una in haereticos habita adiri potest per www-alt.uni-trier.de.

⁴⁹ <ardorem> suppleui ex. gr., (lacunam sensit iam Hoetzel). Pro *in eum* malim aut *in eam* aut *in uicem* aut *i<g>neum*; alioquin, si *in eum* retinere uelis, legendum uidetur *in eum reponat* (i.e. in eius locum ponat). Sensus in uerbis parum certis tamen certissimus est.

⁵⁰ Aperte hic laudat Senecam (epist. 9,6, ubi is Hecatonis uerba affert), ut aliis locis saepe Ouidium, praesertim in amatoriis.

⁵¹ Cf. Georg Steer, „Konrad von Megenberg (1309-14.4.1374)“, *Verfasserlexikon V* (1985) 221-236; Detlef Altenburg / Franz Fuchs, in: *Universität Regensburg* 1995, 82-85; Claudia Märkl / Gisela Drossbach / Martin Kintzinger (edd.), *Konrad von Megenberg (1309-1374) und sein Werk: Das Wissen der Zeit*, Monachii 2006.

reducere studet. His uersibus illa Germanorum mores, rusticos quidem, sed tamen probos, Sanctissimo Patri commendat (u. 408/9; 412-417):⁵²

Germanus rudis est: sua grossicies michi prodest.
 Simplicitas vera⁵³ Germani, nulla chymera. [...]
 Tunc hos [sc. Germanos] astuti, vulpini, qui sibi tuti,
 Dicunt tam crudos et moribus hos male nudos.
 „Pillea nec capitis gliscit rudis hic removere.
 Crura nec, ut sapitis, discit genibus retinere.”⁵⁴
 Vincit opus uerbum Germani, uel sit acerbum
 Vel mollens, tacitat, operatur, uerba refutat.

Grossitudo iam in Vulgata pro crassitudine ponitur; hic metri causa fit *grossicies*, fere i.q. rusticitas. Ea *prodest* Ecclesiae, quia coniuncta est cum simplicitate, aliena a *chimaera*, quae non simpliciter unam, sed tres species praebet, nempe leonis, serpentis, caprae. Contra *astuti* et *uulpini* sunt uidelicet populi confines, ut Francogalli, Itali, longe remoti ab illa simplicitate Germanorum. Ei Conrado auctore sunt *sibi tuti* i.e. sibi solis tuti, aliis periculosi. Qui Germanos uituperant ut *crudos* i.e. immaturos, *moribus male nudos* i.e. bonis ciuilioribusque moribus destitutos. Cuius uitii duo indicia afferunt: primum quod *pillea* i.e. capitis tegimenta more rustico *remouere* in salutatione nolint, deinde quod *crura genibus retinere* non didicerint, i.e. cum assederint, nec crura nec genua immota contineant.

Contra quos Ecclesia Germanos illos rudes et *grossos* defendit, cum dicit in illis *uincere opus uerbum*, i.e. proniores eos esse ad agendum quam ad loquendum, siue illud uerbum *acerbum* sit siue *mollens* – qui neologismus deriuatus uidetur a uerbo *mollere*, quod, cum nusquam inueniatur, et ipsum a uerbo *mollescere* deriuandum est. Simili modo Latinam linguam Conradus ditat cum *tacitat* pro *tacet* dicit, nempe ut id silentium etiam altius sit. Hi uersus autem, ut uidetis, ipsa sua rusticitate Germanis, quos laudant, aptissimi uidentur. – Nunc hoc uos interrogo. Num quisquam ante Conradum Germanus tanta diligentia mores sui populi et expressit et cum aliis nationibus comparauit? Virum uidetis, ut puto, singularis ingenii.

Sed a Germania uniuersa redeamus ad Bauariam et Ratisbonam. Quae urbs proximo saeculo i.e. XV tulit historicum, monachum Augustinum, qui in monasterio S. Magni (uulgo *St. Mang*) fuit. Dicitur nunc Andreas Ratisbonensis,⁵⁵ auctor *Chronicae de principibus terrae Bavarorum* quam scripsit iussu ducis Ludouici Barbatu et *Chronicae pontificum et imperatorum Romanorum*. Vbi de Ratisbona ciuitate libera hoc legitur (unde unum uersum iam antea uobis attuli):⁵⁶

Anno effusionis sanguinis Christi pro salute generis humani Ratispona metropolis Bavarie a Tyberio conditur et Tyburnia uel, ut quidam dicunt, Tyberina nominatur. Ubi advertendum sicut colligitur ex cronica magistri Conradi de monte puellarum [...] quod quatuor sunt ciuitates libertatibus Romanorum principum singulariter pre aliis ciuitatibus christiane religionis dotate liberaliter et exempte, sic quod non recognoscunt [*i.e.* ut non agnoscant⁵⁷] sibi dominos neque ulli homini seruiunt aut subsunt nisi apostolice auctoritati et imperatorie maiestati. Quarum prima est Roma [...], secunda est Treueris [...],

⁵² *Klagelied der Kirche über Deutschland (Planctus ecclesiae in Germaniam)*, bearbeitet von Horst Kusch, Darmstadt 1956 40 (cum bona translatione)

⁵³ More mediaeualis breuis syllaba in semiquinaria producitur.

⁵⁴ Signa orationis rectae addidi, ne quis hic poetam loqui credat. Hoc loco duo uersus inter se homoeoteutis coniunguntur (cf. Norberg 1958, 66 sq.), fortasse ut oratio nimis expolita traducatur.

⁵⁵ Cf. de hoc et aliis Franz Fuchs / Claudia Märkl, „Literarisches und geistiges Leben im 15. Jahrhundert“, in: P. Schmid 2000, 907-916; Peter Johaneck, „Andreas von Regensburg“, *Verfasserlexikon* I (1978), 341-348; Claudia Märkl, „Andreas von Regensburg – Augustinerchorherr und Geschichtsschreiber (ca. 1380-ca. 1442)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 99-103.

⁵⁶ Georg Leidinger (ed.), *Andreas von Regensburg, Sämtliche Werke*, Monachii 1903, 8

⁵⁷ Theologi scholastici saepe pro *ut consecutio quod* ponunt.

tercia est Colonia [...], quarta civitas est nostra Ratispona [...] corporibus sanctorum tamquam margaritis candidissimis ornata.

Versus:⁵⁸

Gaude, Ratispona, super excellencia dona.
 Concludis duo bis in te gratissima nobis
 Corpora sanctorum. Sacer est Dyonisius horum
 In numero primus, Emmeramus laude nec imus,
 Wolfgangus, Erhardus, neuter medicamine tardus.
 Quatuor istorum precibus necnon aliorum
 Hic contentorum⁵⁹ ducamur ad astra polorum.⁶⁰

Nolite autem credere Wolfgangum aut Erhardum illum (qui fere A.D. 700 episcopus Ratisbonensis creatus erat) medicinam aliquam exercuisse: Vir sancti illi remedia animis, non corporibus attulerunt, quare nunc quoque precantibus iter ad caelum aperire dicuntur. Ceterum hos uersus nemo non satis duros ieiunosque existimabit.

De Conrado Celte Elsulae Ratisbonensis amico

Sed ecce iam perierunt mediaeuales illae tenebrae quas dicunt, quasi sole oriente humaniores litterae renascuntur:⁶¹ Conradus Celtis P.L.⁶² ipse, Germanorum archihumanista q. d., Ratisbonam uisit. A.D. 1493 in schola cathedrali Ratisbonensi magister factus est; quo tempore in bibliotheca apud S. Emmeramum opera Hrotsvithae Gandershemensis poetriae optima inuenit, quae A.D. 1501 typis excusa Friderico III. electori Saxoniae dedicauit.⁶³

Ratisbonae autem amore captum se dicit Elsulae Noricae cuiusdam, quam et in *Amoribus* A.D. 1501⁶⁴ et in *Odis* post mortem A.D. 1513 editis celebrat. Nam habuit, ut eroticae arti etiam geographicam adiungeret, in singulis Germaniae partibus singulas amicas distributas, in oriente *Hasilinam Sarmatam*, in meridie *Esulam Alpinam*, in occidente *Ursulam Gallam*, in parte boreali *Barbaram Codoneam* (quae ipso nomine frigora adducere uidetur).⁶⁵ Quas puellas una cum urbibus suis fluuiisque eo pertinentibus delineandas figuris in lignum incisis curauit. Sic etiam *Esulam* conspicimus inter Oenum Licum Danuuiumque supra Ratisbonae moenia et pontem sedentem, uerba Celtis ad citharam cantantis audientem, adstante, ut uidetur, *Venere paruula*.⁶⁶

Paucos uersus uobis ex ode quinta secundi libri recitabo, ut discatis quantum ardorem puella Ratisbonensis⁶⁷ poetae iam non nimis adulescenti incutere potuerit (33-40):⁶⁸

O quanta noctis tu mihi gaudia
 pridem dedisti, dum tua bracchia
 amplexibus nostris locabas
 mollibus excipiens lacertis!

⁵⁸ Vt antecedentia sic hos quoque uersus possis ascribere Chronicae Conradi ab Andrea laudatae; uix Andreas ipse fecit.

⁵⁹ = *qui hic continentur*

⁶⁰ In u. 1 *gaude* pro trochaeo est; in u. 2 *duo* monosyllabice enuntiandum ut homoeoteleuton audiatur; in u. 5 *Wolfgangus* breuem secundam syllabam habet. Geminatio in homoteleutis uersuum 6 et 7 apte concludit carmen alioquin rusticum.

⁶¹ Cf. Alois Schmid, „Kulturelles Leben im Konfessionellen Zeitalter“, in: P. Schmid 2000, uol. 2, 917-929.

⁶² His litteris designatur *poeta laureatus*, non, ut quidam indocti putant, *professor Latinus*.

⁶³ Cf. Nikolaus Henkel, in: Universität Regensburg 1995, 31 sq.; Eberhard Dünninger, ibidem 35 sq.

⁶⁴ Cf. Jörg Robert, „Celtis' Amores und die Tradition der Liebeselegie“, in: Wiener et al. 2002, 9-17.

⁶⁵ Cf. Claudia Wiener, „'Quatuor latera Germaniae': Die ‚Amores‘ als Beschreibung Deutschlands nach den vier Himmelsrichtungen“, in: Wiener et al. 2002, 93-106.

⁶⁶ Pictura apud Wiener 2002, 11 et 99; explicatur in p. 97.

⁶⁷ In titulo carminis eam *Esulam Noricam* uocat, quamquam Ratisbona olim Raetiae prouinciae pars, non Norici erat. Sed iam medio aevo *Noricum* pro Bauaria appellabatur (Kraus 1972, 51 sq.).

⁶⁸ Schäfer 2008, 136 sq.

Non sic vetustis bacca hederacea
 muris adhaeret, sic neque consitis
 sese implicat palis renatis
 caudicibus generosa vitis.

Atque haec de amplexu, quem hederarum ac uitium cicumplicatibus non inepte comparat. Tunc autem ad basia et ipsam Veneris metam progreditur, quam post uoluptatis interuallum etiam iterare cogitat (41-48):

O quanta nostris tunc mora in osculis,
 fervens voluptas quando sub intimis
 nervis calebat, concitato et
 corpora sunt resoluta motu!
 Hinc parva nostris pausa laboribus
 quiesque utrisque est sumpta tepentibus,
 dum rursus instaurat Cupido
 proelia fervidiora lecto.

Videte quam diligenter poeta gradus caloris distinguat: uoluptas *feruet* et *calet*, amantes post Venerem primam *tepent*, tunc sese ad *feruidiora* accingunt. Notate etiam illa iucundissima homeoteleuta in finibus uersuum (*osculis*⁶⁹ – *intimis* etc.), quae tamen uerecundius admiscet, ne in medium aeuum relabatur. – Quis ante Celtin Germanus poeta tantas amoris uenerisque flammam uersibus excitauit? Etiam postea admodum pauci id aut ausi sunt aut potuerunt. Scimus sane Conradum illum, qui sese doctiorum poetarum praecursorem non ignorabat, non ubique optimum, saepe mediocrem fuisse. Hic tamen in *Elsula* ipse se uicit.

Quare etiam aliud carmen audiamus, quo gaudiis illis amoris non nihil amari adspargitur. Nam pessime accidit, quod *Elsula* more illius saeculi, quod puellis liberaliorem eruditionem non concessit, Latine nesciebat. Quam facile igitur Latinis carminibus contemptis a cantore Germanico capi et seduci poterat! Id enim poeta queritur in ode septima eiusdem libri:⁷⁰

Elsula, cur silenti
 axe dum girant rapidos sidera pulchra cursus
 dumque tepens silet nox,
 ad tuos postes tacitis luminibus sacerdos
 te uocat et canora
 barbita mollem et tremulo gutture dans querelam?

Paraclausithyrum esse uidetur, quod ille *ad postes* positus⁷¹ sacerdos flebili uoce⁷² ad citharam concinit: Ter dicit poeta de silentio noctis et astrorum – *silenti axe*, *silet nox*, *tacitis luminibus*⁷³ – ut eo clarius audiri tremula uox uideatur et lyra canentis. Quae effectum non caret:

Succinit ut furentes
 incitet flammam fidibus saucia corda pulsans;

⁶⁹ E Schäferi noua editione perutili (2008, 136) uidemus poetam hic primum scripsisse *oribus* (in *N*); uix dubitandum est quin correctura *osculis* (in *o*) ad ipsum redeat (cf. quae recte Schäfer in pp. 9-11 monet).

⁷⁰ Schäfer 2008, 138-141.

⁷¹ Schäfer 2008, 139 coniungit *ad postes* cum *uocat*: „an deine Tür“. Sed potius *e* foribus euocare debuisset sacerdos, si illam foras uenire uoluisset; ceterum *Elsula*, quamquam eius cantico laetatur, fenestris incumbere (u. 10), non ad postes properare, dicitur.

⁷² V. 6 *querelam*: Notum est in ipsa *paraclausithyri* uoce inesse Graecum uerbum *klaiein* (i.e. flere).

⁷³ Schäfer (2008, 139) id refert ad sacerdotem („mit stummen Blicken“), uix recte, puto, quamquam similis uidetur Verg. *Aen.* 4,363 sq. (de Didone) *huc illuc uoluens oculos totumque pererrat / luminibus tacitis*. Sed ibi, ut iam Seruius uidit, *luminibus tacitis* enallage est *pro ipsa tacita*, quod in sacerdote cantante uix dici potest. An credamus oculos quidem illius sine uoce esse, uocem tantummodo sonoram?

tuque voluta pallis
 exsulis stratis tepidis incubitans fenestris
 dulcia plectraque hauris.
 At modis cum te vocito tam⁷⁴ vigilans Latinis,
 altius ipsa dormis.
 Quam grave est me per patriam <iam> fieri⁷⁵ poetam
 barbara verba amantem!

Poetico more hic Celtis *saucia corda* ea dicit, quae sacerdos suo cantu sauciare cupit; item *tepidis fenestris* Elsula incumbit non quo illae per se tepeant, sed quod puella incumbente tepescant.⁷⁶ Nec displicet quod *uoluta* licentia poetica pro *inuoluta* ponitur.⁷⁷ Videte autem quanto uerborum apparatu et canticum barbarum illius clerici et Elsulae auscultantis motus describantur. Quattuor illic uiro, tum tres uersus mulieri dantur; contra unum uersum tenet carmen Conradi, unum Elsula dormiens eumque breuissimum. Quanta spei frustratio! In ultimis autem uersibus callide iuxta ponuntur nomen *poetae*, quod uni Latine canenti conceditur, et *barbara uerba* puellis Noricis gratiora.⁷⁸ Nec male sic desineret poema, nisi ratio metrica unum Sapphicum maiorem, uidelicet uersum decimum sextum, desideraret.⁷⁹ Eumne nescio quo casu excidisse credamus an poetam indignantem carmen consulto imperfectum reliquisse?

Hinc certe intellegimus, cur uiri humaniores tum paene omnes poposcerint ut etiam puellae Latine discerent!⁸⁰ Quanto melior sors data est nobis poetis si qui nunc restamus – quibus tanta copia doctissimarum mulierum praesto est!

De aliorum studiis humanioribus

Conradum Celtin autem mox sua Vrsula ad uina Rhenana rapuit, deinde Caesar ipse Maximilianus I. eum Vindobonam uocauit. Nec multo post alius poeta laureatus Ratisbonam uenit, Iosephus Grunpeck,⁸¹ quo suadente et curante A.D. 1505 *Gymnasium poeticum*, i.e. studiis humanioribus destinatum, conditum est.⁸² Cuius *Idea scholastica* postea A.D. 1615 hoc pentametro chronogrammatico declaratur:

o nostris stVDIis optIME ChrIste faVe.⁸³

Deinde A.D.1631 gymnasio inscriptus est hic titulus:

ARTES OMNIVM BONORVM FONTES.⁸⁴

⁷⁴ *tam* si recte traditur, spectare ad riualem debet, sc. *tam uigilans quam ille*. Sed malim *tum*.

⁷⁵ *patriam fieri* libri et editores contra metrum; <iam> suppleui.

⁷⁶ Vix recte Schäfer 2008, 139: „ins kühle Fenster“.

⁷⁷ Aliter Schäfer 2008, 139: „Und du wendest dich um“ - qui postea *stratis* cum *pallis* coniungit („springst vom zurechtgemachten Lager auf“). Ego sic intellego: „Pallis (in)uoluta exilis e lecto (= *stratis*).“

⁷⁸ Sic, ut Schäfer (2008, 140) recte adnotauit, quasi per ironiam infirmitas uersus quibus Celtis in antecedente carmine gloriabatur (2,6,11 sq.): *Unica cura mihi Latias inferre Camenas, / et Graiis fidibus resonantes*.

⁷⁹ Etiam exemplum Horatianum, scilicet carm. 1,8, sedecim uersus habet.

⁸⁰ Cf. Wilfried Stroh, *Latein ist tot, es lebe Latein!*, Berlin 2007, 192-194

⁸¹ De quo cf. nunc Cora Dietl, *Die Dramen Jacob Lochers und die frühe Humanistenbühne im süddeutschen Raum*, Berlin et al. 2005, 174-188 (ubi plures libri indicantur). De eis quae Ratisbonae Grunpeckius egit cf. Hans Jürgen Höller, in: Universität Regensburg 1995, 122-124.

⁸² Cf. A. Schmid 1988 et Höller 1995, 124-139. Grunpecki imaginem e uetere libro depictam praebent Kraus / Pfeiffer²1986, pictura nr. 202.

⁸³ Cf. Uta Spies, in: Universität Regensburg 1995, 137.

⁸⁴ Cf. A. Schmid 1988 et Christian Gottlieb Gumpelzhaimer, *Regensburg's Geschichte, Sagen und Merkwürdigkeiten* [...], 2. Abtheilung, Ratisbonae 1837, 600.

Quae sententia mihi omnem humanitatis disciplinam complecti uidetur.

A.D. 1542 autem una cum tota urbe (nonnullis clericis et ciuibus exceptis) *Gymnasium poeticum* ad fidem euangelicam conuersum est. Cui tamen postea adiunctum est A.D. 1589 *Gymnasium Societatis Iesu* apud S. Paulum.⁸⁵ Quo euenit, ut inter haec duo gymnasia, Lutheranum et Catholicum, diu felicissimum certamen exstiterit. Erat enim Ratisbona tamquam exemplum concordiae inter duas illas confessiones. (Qua causa etiam Comititia illa perpetua Imperii, uulgo „immerwährender Reichstag“ dicta, Ratisbonam potissimum translata sunt.) Sublato autem ordine Iesuitarum A.D. 1773 illorum gymnasium mutatum est in *Gymnasium Episcopale* – isdem tamen fere magistris atque antea docentibus! Tum A.D. 1811, cum Ratisbona, si dis placet, Bauariae pars facta esset, hae duo scholae inter se in unum *Gymnasium Regium* conflatae sunt, unde postea nullo religionis discrimine denuo duo gymnasia extiterunt, nempe *Albrecht-Altdorfer-Gymnasium* et *Albert-Magnus-Gymnasium* (quod a Gulielmo Pfaffel sodale nostro feliciter gubernatur).

Grunpeckius autem uir inquietae industriae illud *Gymnasium poeticum* non amplius unum annum administravit. Sed quasi in eius locum mox Ratisponam uenit alterum decus humanitatis et studiorum, quem uirum omnes Bauari norunt ut suae historiae uerissimum conditorem: Iohannes Auentinus, Celtis discipulus.⁸⁶ Is et Abusinae, in oppido natali, et Ratisbonae A.D.1519-1521 conscripsit *Annales ducum Boiariae*. Ibi Boiorum i.e. Bauarorum mores iucundissime sic effinguntur, ut ea descriptio usque ad nostra tempora ualere uideatur (I 2):⁸⁷

Baioaria est omnis diuisa in partes tres [...] Populi religiosi simplices; agri, pecoris magis quam belli cultores; Baccho et liberis operam dant [pro Veneri indulgent]. Inhumaniores paulo, proterviores atque pertinaciores sunt, propterea quod domi consistunt ac consenescent, raro natale solum relinquunt. [...] [De plebe in agris:] totos dies, praecipue festos, noctesque continuare potando, saltationibus lascivire, arma, ense venabulum ferre, effusissime indulgere dapibus in dedicationibus templorum [„Kirchweih“] et epulo nuptiali nulli fraudi, nulli probrum est.

Has *Annales* Auentinus etiam Germanice uertit, quod opus ab omnibus harum rerum peritis admodum laudatur. Scripsit etiam Germanice historiam ciuitatis Ratisponensis.⁸⁸ Inde ab A.D. 1528 autem usque ad mortem A.D.1534 Ratisbonae latitare coactus est, quoniam Lutheranus esse suspiciebatur. Quare eius opera etiam in Indicem prohibitorum librorum recepti sunt. Habet autem pulcherrimum epitaphium apud Sanctum Emmeramum, ubi sepultus est. Ibi legitur:⁸⁹

D(EO) O(PTIMO) M(AXIMO)
IOAN(NES) AVENTINVS VIR SINGVLARI ERVDI(TIONE)
FIDE AC PIETATE PRAEDITVS PATRIAE SVAE
ORNAMENTO EXTERIS ADMIRATIO(N)I FVIT
BOIOR(VM) ET GERMANIAE STUDIOSS(IMVS) RERVM
ANTIQUAR(VM) INDAGATOR SAGACISS(IMVS) VERAЕ

⁸⁵ De his fatiis gymnasiolorum agunt Johann Strasser, Josef Klose, Reiner Pompl, in: Universität Regensburg 1995, 159-262.

⁸⁶ Cf. Alois Schmid, „Johannes Auentinus – erster bayerischer Landeshistoriograph (1477-1533)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 109-119.

⁸⁷ Sigmund Riezler (ed.), *Johannes Turmair's genannt Auentinus Annales ducum Boiariae*, 1.Bd. 1. Hälfte, Monachii 1881, 36; 40.

⁸⁸ De his omnibus scripta inuenies apud Eberhard Dünninger, „Die Entdeckung des Mittelalters: Auentinus – Celtis“, in: Universität Regensburg 1995, 33-36 (qui etiam uitam Auentini conscripsit: *Johannes Auentinus* [...], Rhodopoli [ad Pontem Aeni] 1977). Ratisbonae historiam supra laudauit (in adn. 4). Ad omnia Auentini opera, etiam quae adhuc in manuscriptis uersantur, facilem aditum electronicum praebet Bibliotheca publica Bauarica Monacensis: <http://www.bayerische-landesbibliothek-online.de/aventin>.

⁸⁹ Epitaphium descriptum est etiam in: Halm /Muncker 1881, p.V; cf. Hohl 1982, 80 sq. (cum pictura). Multa talia epitaphia inuenies apud Herbert Köbler / Hans Schlemmer (edd.), *Die Grabdenkmäler in St. Emmeram*, Ratisbonae 2008 (p. 45: de Auentino).

RELIGIONIS OMNISQVE HONESTI AMATOR.

Visitate hoc spepulchrum! Etiam effigiem uiri docti spectabitis uultu paulo maestiore innixi libris suis eisque morte propinqua quasi ualedicens.

Maximum autem lumen urbi attulit uir propter naturae scientiam et astronomiam in toto orbe nobilissimus, sed etiam poeta bonus tam Germanicis quam Latinis Musis: Iohannes Keplerus.⁹⁰ Is cum saepe in urbe uersatus esset, ibi etiam A.D. 1630 diem supremum obiit, apud S. Petrum sepultus est (quod sepulchrum nunc dolemus obrutum esse). Ipse hoc sibi epitaphium scripsit (quod olim ibi legebatur):⁹¹

Mensus eram Coelos, nunc Terrae metior Vmbras:
Mens Coelestis erat, corporis Vmbra iacet.

Valde arridet illa paronomasia *mensus – mens*; sed tamen totum distichon paulo obscurius uidetur, siquidem *metior* eodem sensu dictum intellegere uelis atque illud *mensus* (ut plurimi solent): Cur enim umbras terrae more astronomorum dimetiatur? Significat autem hic, nisi fallor, *metior* idem ac *lustrare, peragere* ut in Horatio (epod. 4,7): *sacram metiente te uiam* (ut ea figura efficiatur quae, si meministis, uocatur traductio). Vnde uidemus Keplerum, quamquam suam mentem caelestem putauerit, hic fortasse non de aliqua immortalitate eius cogitauisse.

De Iohanne Ludouico Prasch

Quam diu Ratisbona poeta genuino caruit? Eo poeta dico qui non peregre adscitus, sed in ipsa urbe inter Danuuium Regumque fluuios natus sit atque floruerit? Ecce saeculo decimo septimo tandem ille adest: Iohannes Ludouicus Prasch – nimis paucis eheu nunc quidem notus!⁹² Neque enim inter Iesuitas erat, qui mira pietate suae societatis poetas uenerantur (neque iniuria id faciunt), sed uerus Lutheranus, per multos annos Gymnasii illius poetici non rector sed quasi custos ab urbe praepositus (uocabatur autem *scholarcha supremus* aut *protoscholarcha*). Neque is Musis solis uacabat, sed ut iuris peritus inter summos magistratus urbem administrabat, inter legatos Comitiorum Imperii uersabatur, etiam cum Christiano Thomasio professore tum celeberrimo de natura iuris naturalis et de lege caritatis acriter disputabat.⁹³

Olim autem libri de sermone Germanico scripti Praschium ad aliquam gloriam euexerunt.⁹⁴ Ac primum editum est A.D. 1686 *Mysterium linguae [!] Teutonicae, de diuina origine huius linguae*, ubi Germanicam linguam proximam Hebraicae et paradisiacae esse asseuerat. Est certe, ut ait, lingua *principalis; ex se nata, suis nixa radicibus*. Audacior, ut e titulo ipso apparet, est eodem anno edita *Dissertatio de origine Germanica Latinae linguae* (quam doctrinam uiri doctissimi tum probauerunt). Alteri *Dissertationi* A.D. 1689 editae, ut

⁹⁰ De Keplero Ratisbonae uersato cf. Dieter Bierlein / Matthias Freitag, „Johannes Kepler – Mathematiker und Astronom (1571-1630)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 148-161.

⁹¹ Imaginem autographi a Ludouico Keplero filio scripti, qui haec uerba ab ipso patre composita esse testatur, praebet Karl Bauer, *Regensburg: Kunst-, Kultur- und Alltagsgeschichte*, Ratisbonae⁵ 1997, 222 (unde ipse fideliter transcripsi).

⁹² De memoria Praschii unice meritis est Dachs 1957; is etiam catalogum librorum confecit, qui 99 scripta complectitur. Cf. etiam Eberhard Dünninger, „Johann Ludwig Prasch und Susanna Elisabeth Prasch – ein gelehrtes Dichterpaar im 17. Jahrhundert (1637-1690 und 16661 – nach 1691)“, in: Dietz / Waldherr 1997, 171-175 (paucissima de carminibus Latinis).

⁹³ Vide in catalogo Dachsii (1957, 206), nr. 77-82.

⁹⁴ Dachs 1957, 202 sq., nr. 37-40.

suam sententiam comprobaret, addidit *Onomasticum Germanico-Latinum* et *Glossarium Bavaricum*, rem singularem et inauditam. De quo incepto dicit:⁹⁵

Optamus autem, a ceteris quoque nationibus, quae Germanico utuntur dialecto, ejusmodi glossaria et Lexica edi, atque a magistratibus patriae amantibus procurari: quo natales vocum Latinarum plenius demonstrari queant. Desideratur enim adhuc a multis subsidium tam necessarium.

Vox, ut uidetis, prophetae! Sed ego carminum duo saltem exempla adferam, omissis fabulis scaenicis, quas non nullas fecit tam Latinas quam Germanicas (praesertim cum Paula sodalis nostra Florentina de una ex illis crastino die dictura sit).⁹⁶ In opere lyrico se nouum aliquid inuenisse gloriatur, cum cantica ad saltandum apta scripserit:⁹⁷ *Primus ego institui festas cantare choreas [...] uersu ridiculo*. Vnde haec audite ex asclepiadeis et glyconeis festiue composita:

At nos incipimus. jungite circulum.
Tu laeuum mihi da, tu rape; mutuo
Nexis articulis libera bracchia
Ut jactemus. ohe, ohe.

At nunc progredimur. dicite, si lubet,
Aut ver, aut roseum carmine Vesperum:
Alterno pariter tundite humum pede
Laevam versus. ohe, ohe.

Sed fortasse suauissimum est ultimum eius carmen, quae uocatur *Cantio cycnea* (1690) in ipso mortis limine scripta, post mortem edita:⁹⁸

Valete, Amici. Jam satur omnium
Excedo terris: Jam super aethera
Libro solutae mentis alas,
Aligera comitante turma.
Iam spe relicta civibus, et fide,
Capesso Amoris limina gemmea,
Ac vinculo jungor perenni
Ex adamante choris beatiss.

Quin et stupenti sidereum licet
Regem osculando tangere. Consulem
Hic laureatis me benignus
Fascibus aetherium salutat.
Efferte corpus, ceu decet, o mei,
Et sic onustum pulvere linquite;
Ut et tenaci mente vivum
In patriam referatis urbem.

Licet hic aperte Horatii excessum lyricum in ultimo secundi libri carmine imitetur⁹⁹ – quam haec omnia sunt Christiana uiroque sancto digna! *Satur omnium* est, ut patriarchae illi Veteris Testamenti, cum moriuntur.¹⁰⁰ *Mentis alas* autem explicat non ut quasi Horatius nouus in cycnum conuersus ultimas terras uolando uisat, sed ut angelorum *aligerae turmae* inseratur. Et quoniam Paulus *amorem* siue *caritatem* esse maiorem etiam quam *spem fidemque* dixit,¹⁰¹ eas uirtutes minores Christianas quasi in terris relinquit, *Amoris gemmea liminina* capessit, quia per ea ad Deum, quem *sidereum Regem* appellat, aditus patere uideatur. Qui sese a Praschio etiam attingi patitur eumque, qui *Consul* (i.e. burgimagister) Ratisbonae fuerit, nouis *fascibus* eisque *laureatis* tamquam uictorem salutatur. Ac nolite haec credere nimis aliena a

⁹⁵ Dachs 1957, 202, nr. 39; *Glossarium Bavaricum* iterum typis expressum inuenitur apud Nadine Kilgert, *Glossarium Ratisbonense* [...], Ratisbonae 2008.

⁹⁶ Sic in Conuentus libello: „Iouis die, 17. Sept. 2009: 09.15 Prof. dott. Paula Marongiu, Florentina: *Praschii de Arminio ludus* (1678)“.

⁹⁷ Jo. Ludov. Praschii, Senatoris Ratisbonensis, Poematum libellus [...], Noribergae [...] MDCLXVI (1666) = nr.1 in Dachsii catalogo (Dachs 1957, 199; praeter bibliothecas ibi indicatas exemplum inuenitur etiam in Bibliotheca publica Bauarica Monacensi: Ph.u.291).

⁹⁸ Dachs 1957, 65, qui sequi se dicit Johannem W. Witte, *Diarium biographicum*, uol. 1, Rigae 1691, 180 sq.

⁹⁹ Hor.carm. 2,20,1 sq. *feror pinna*; 3 *neque in terris morabor*; 5 *urbis relinquam*; 9 *iam iam* (cf. 13); 19 *me peritus*. Sed haec singulorum uerborum imitatio leuissima est et quae uix dinosci possit; similior est Horatio totus ille uaticinantis perque auras uolantis entusiasmus.

¹⁰⁰ Vt in Genesi 25,8 Lutherus Abraham morientem dicit „lebensatt“ (in Vulgata: *plenus dierum*). Cf. Hor. sat. 1,1, 118 sq. *uita / cedat uti conuiuia satur*. Sed cogitemus Praschium non senem, sed quinquaginta tres annos natum de uita decessisse.

¹⁰¹ Ad Corinthios I 13,13

Christiana humilitate. Sunt enim uerba non prudenter deliberantis, sed magis delirantis in ipsa porta aeternitatis.

In ultima stropha autem ad sobrietatem aliquatenus redit. Vbi propinquos, qui extra urbis moenia in cimeterio suas exsequias curent, hortatur sui memores ut maneant; coniungendum est enim *sic* in secundo uersu cum *ut* in tertio. Sperat igitur se *uiuuum* mansurum non solum in caelo, sed etiam in *mente* amicorum. Vltima uerba autem tribuit *urbi patriae*, cui iam maximam partem uitae dedit: Ratisbonae.

In hoc igitur, sodales, uersu poetae Ratisbonensis optimi finem faciamus orationis!

Libri saepius laudati:

Albert-Magnus-Gymnasium Regensburg (ed.): *Festschrift zum Schuljubiläum 1988*, Ratisbonae 1988

Bischoff, Bernhard: *Mittelalterliche Studien – Ausgewählte Aufsätze zur Schriftkunde und Literaturgeschichte*, uol.2, Stutgardiae 1967

Dachs, Karl: „Leben und Dichtung des Johann Ludwig Prasch (1637-1690)“, *Verhandlungen des Historischen Vereins für Oberpfalz und Regensburg* 98, 1957, 5-219

Dietz, Karlheinz / Thomas Fischer: *Die Römer in Regensburg*, Ratisbonae 1996

Dietz, Karlheinz / Gerhard A. Waldherr (edd.): *Berühmte Regensburger*, Ratisbonae 1997 (in appendice s.u. „Lesetipp“, p. 326 sq., libri utiles commendantur)

Halm, Karl von / Franz Muncker (edd.): *Johannes Turmair's genannt Aventinus sämtliche Werke*, uol. 1: *Kleinere historische und philologische Schriften*, Monachii 1881

Höller, Hans Jürgen: „Die Geschichte des Gymnasiums“ in: Universität Regensburg 1995 (u. infra), 122-139

Hohl, Josef (ed.): *Lokalhistorische Texte: Regensburg*, Monachii 1982 (scholarum in usum opus utile)

Kraus, Andreas: *Civitas regia – das Bild Regensburgs in der deutschen Geschichtsschreibung des Mittelalters*, Kallmünz 1972 (habet in appendice fontes rerum Ratisbonensium mediaeualia selectos)

Idem / Wolfgang Pfeiffer (edd.): *Regensburg – Geschichte in Bilddokumenten*, Monachii 1986

Lexikon des Mittelalters, 9 uolumina, Stutgardiae 1999 (iterum: Monachii [dtv] 2002)

Manitius, Max: *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters*, pars II, Monachii 1923; pars III, 1931

Meinel, Christoph: „Maß und Zahl im Mittelalter“, in: Universität Regensburg 1995 (u. infra), 36-44

Norberg, Dag: *Introduction à l' étude de la versification latine médiévale*, Holmiae s.a. [1958]

Schäfer, Eckart (ed.), Conrad Celtis: *Oden / Epoden / Jahrhundertlied – Libri Odarum quattuor, cum Epodo et Saeculari Carmine (1513)*, übers. u. hrsg., Tubingae 2008

Schmid, Alois, „Das Gymnasium poeticum zu Regensburg im Zeitalter des Humanismus“, in: Albertus-Magnus-Gymnasium 1988, 25-57

idem: „Regensburg, Metropolis Bavariae im Früh- und Hochmittelalter“, in: A. Schmid / Weigand 2003 (u. infra), 11-25, 449 sq.

idem / Katharina Weigand (edd.), *Schauplätze der Geschichte in Bayern*, Ratisbonae 2003

Schmid, Peter (ed.): *Geschichte der Stadt Regensburg*, 2 uol., Regensburg 2000

Universität Regensburg (ed.): *Gelehrtes Regensburg – Stadt der Wissenschaft: Stätten der Forschung im Wandel der Zeit*, Ratisbonae 1995

Verfasserlexikon = Die deutsche Literatur des Mittelalters: Verfasserlexikon, 14 uolumina, Berlin / New York, 1978-2008

Wiener, Claudia / Jörg Robert / Günter & Ursula Hess (edd.), *Amor als Topograph: 500 Jahre ‚Amores‘ des Conrad Celtis – ein Manifest des deutschen Humanismus*, Suinfurti 2002, 9-17